

PSALMVS LXXXI.

AD PRÆCINENDVM SVPER TORCVLARI, PSALMVS ASAPH.

ARGVMENTVM PSALMI.

Conspicuum est ex initio Psalmi, Prophetam hortari Israël, vel magis adhortationē hanc in ora populi, cum inter se mutuam, tum ad eos dare, quorum officium erat diebus festis, præcipuè in neomenijs, & singulariter in festo tubarum, de quo Num. 10. & 29. tubis ad holocausta & victimas pacificas clangere, vt cum exultatione Deo fortitudini ipsorum, tubis, tympano, psalterio & cithara insonarent. Deinde simul Deum inducit populum suum alloquentem & contestantem. Et hæ sunt due principales Psalmi huius partes. Quæ utrisque insint, suis locis videbimus.

PRIMA PARS PSALMI, QVINQVE
PRIORES VERSVS HABET.



EXULTATE Deo fortitudini nostræ, iubilate Deo Iacob.

VERS. I.

2. Sumite psalmum, & date tympanū, citharam suauem cum psalterio.

3. Clangite tuba in neomenia, in insigni die solennitatis nostræ.

4. Quia statutum Israël est, & legitimum Deo Iacob.

5. Testimonium in Ioseph posuit illud, cum egressus esset à terra Aegypti, ubi linguam, quam non noueram, audiebam.

Solennitatis nostræ.] Ebr. אֲשֶׁר גָּבַר Græc. & vult. Lat. legunt: Solennitatis nostræ.

Vbi linguam, quam non noueram, audiebam.] Ebr. שָׁפָה לֹא יָדַעְתִּי אִשְׁמָרָה Græc. & vulg. Lat. & Arabs, in tertia persona legunt: Linguam quam non nouerat, audiuit.

Primus versus mutuam habet adhortationem ad gaudendum & exultandum. *Exultate*, inquit, & *iubilate*. Deinde quoniam plurimum refert, vnde & qua in re sit gaudium, & ad quem finem tendat, non simpliciter dicit, *Exultate & iubilate*: sed addit, *Deo*. Qui sibi ipsi gaudet, & ex carnis affectibus in rebus carnalibus exultat, carnaliter exultat, & inani profus & peritura afficitur lætitia. At hoc nō est gaudium populi Dei, sed filiorum huius seculi. Qui verò in Deo, propter Deum, & ad gloriam Dei exultat, is demum pio, solido & constanti gaudio exultat. Admonet igitur populum Dei Spiritus sanctus, vt nulla alia in re, quàm in Deo suo: nec alio fine, quàm ad gloriam Dei exultet.

B ociosum autem non est, quòd dicunt: *Deo fortitudini nostræ, & Deo Iacob*. Nam veluti rationes assignant, quare exultandum sit Israël in Deo. Primum, ob id quòd sit *Deus Iacob*: id est, patrum ipsorum, Deinde, quòd sit *ipsorum fortitudo*: hoc est, quòd quicquid roboris ipsis vnquam fuerit, aut futurum sit, totum sit ex ipso Deo suo, qui ipsos è durissima seruitute eripuerit, & toties contra inimicos tutatus sit, ac porro eripere tutariq; possit. Ergo inculcat illis Spiritus sanctus, vt in Deo suo, qui non sit recens aliquis, sed patrum ipsorum Deus: nec infirmus ac desertor populi sui, sed fortis, à quo toties sint summa cum potentia asserti, gaudeant, imò exultent. Certè qui hoc facere possunt, tam absunt ab eo, vt mutare cupiant Deum suū, vel aliqua erga ipsum sint diffidentia, vt hoc solo se felices esse iudicent, quòd hunc Deum sortiti sint Seruatorem ac protectorem. Ad huiusmodi gaudium autem cum primis opus est cognitione, cum propriæ infirmitatis & miseræ, tum potentia ac bonitatis Dei. Alioqui, qui nec seipsum, nec Deum rectè cognoscit, quomodo lætabitur ob id, quòd talem ac tantum sortitus sit Deum.

Notandum simul est, quòd vbi ad exultandum sese mutuò, nominatim in Deo patrio adhortantur, eum adducunt ex patribus, qui sit ex patriarchis, de cuius religione, fide ac integritate colendi Deum constet, nempe *Iacobum*: non viciniore ex maioribus, de quibus Scriptura toties meminit, quòd relicto vero Deo, alienos sectati sint. In his non habebat locum, in Iacob verò habebat, quòd vulgò iactatur: *Seruemus religionem maiorum nostrorum*. Ad hunc modū & nobis hodie faciendum est. Urgent aduersarij veritatis, seruandam esse fidem maiorum. Bene: sed eorum, de quorum religione ac pietate constat, quòd verum Deum vero ac sincero cultu & fide sana coluerint, vt sint Apostoli: de quorum religione multi hodie verbis magis, quàm re ipsa gloriantur, dum perpetuò Apostolicam ecclesiam ore volutant, cum Papisticam mente intelligant.

Tertiò, gaudij huius significationem exprimunt, cum dicunt: *Sumite psalmum, date tympanum, citharam suauem cum psalterio, clangite tuba*: hoc est, Quouis modo, & quouis musicorum instrumentorum genere declarate cordium vestrorum gaudium, quo in Deo nostro quisq; afficitur. De instrumentis istis musicis, quæ non ad libidinem & carnalem aurium delectationem, sed ad laudem Dei & spiritalis gaudij significationem simul & excitationem à sanctis viris usurpata sunt, videre est i. Paral. 16. & 25. Vfus istorū postea carni magis quàm spiritui seruiuit, de quo est Amos 6: Sicut Dauid inquit: Putauerunt se habere instrumenta cantici, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.

Quartò adiungunt etiam vers. 3. quado præcipuè declaranda fuerit ipsa cordis exultatio. In neomenia, inquit, in insigni die solennitatis nostræ. Certos per annum festos dies Israël præscripsit Deus. Habebant singuli suas rationes, ob quas in omnibus exultandum erat: vno dempto, qui expiationi deputatus erat, in quo omnis animæ erat assumenda afflictio, Leuit. 23. Nunc verò noui Testamenti tempore, in quo locum non habent legales vmbrae, propter corporis illarum veritatem, quæ

Cc 3

Christus

LECTIO.

Vers. 3.

Vers. 5.

EXPLA-

NATIO.

Vers. 1.

Vers. 2.

Vers. 3.